



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Dispvt. LXXXVI. An Deo conueniat iustitia distributiua.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

metaphoram Scriptura intelligeret, quod Deus iustum appellat, vel ipsi iustitiam adscribit. Verum quia est ratio quaedam iustitiae generalis, quae absque metaphora in omnibus virtutibus reperitur, non opus est ad metaphoram confugere, sed Deus dicitur iustus ratione cuiusvis virtutis, & rectitudinis, quae ipsi conuenit; nobiscum autem dicitur iustus, aut quia fidelis est in promissis, & tantum reddit, quantum promittit: promissio enim quaedam iustitiae pars est, & communi vocabulo iustitia potest appellari, aut dicitur etiam iustus, quia aequalitatem seruat inter dignitatem meritorum, & praemia, in quo communis ratio iustitiae reperitur.

Hoc sensu ad Hebr. 6. dicitur: *Non enim iniustus est Dominus, ut obliuiscatur, &c.* tum ratione fidelitatis, quia infidelis non est; tum ratione aequalitatis, quia non retribuit minus, quam merentur operari: meretur autem iniustus, si minus retribueret, aut quia non seruaret fidem, aut quia non seruaret aequalitatem hanc. Quamuis hoc postest ex se non repugnare omnino Deo, quare iustitia Dei non solum debet attendi, ut putauit *Augustinus in Prologo, cap. 10.* secundum decetiam tantum bonitatis suae, vtilius dicatur iustum, quod suam bonitatem decet, sed etiam secundum aequalitatem aliquam rerum inter se, ut explicatum est.

Arguant vero nonnulli, ut probent in Deo esse iustitiam commutatiuam proprie, ex illo ad Rom. 3. *Quem (scilicet Christum) proposuit Deus ad ostensionem iustitiae suae.* Et ex illo ad Rom. 5. *Sicut per unius delictum, &c. ita & per unius (scilicet Christi) iustitiam, nullum tamen inuenies ex Patribus, vel recentioribus interpretibus, qui his locis per iustitiam intelligat commutatiuam, quae est ad alterum. Sed ad Roman. 3. per iustitiam intelligunt vel fidelitatem Dei, qui promissis iustificationem per Christum, vel iustitiam gratiae, qua iustificat impios. Subdit enim Paulus, *Ut sit ipse iustus, & iustificans:* vel iustitiam punitiuam, quam constat non esse proprie commutatiuam in eo, qui punit offensam contra se commissam, ut supra ostendimus. Et multo minus ad Roman. 5. per iustitiam intelligitur commutatiua, sed sanctitas, quam ibi opponit Paulus delicto: ut sicut unus delicto omnes sumus constituti peccatores, ita etiam sanctitate unius omnes sumus effecti sancti.*

Ceterum inutilis alicui noster labor non videtur, ut probaremus specialem virtutem iustitiae commutatiuae, quae in nobis reperitur in Deo non esse, cum iam concedamus aliquam rationem communem iustitiae, & videamur cum aduersariis conuenire, qui ita iustitiam commutatiuam deo concedunt, ut sine imperfectione eam tribuant secundum aequalitatem condignitatis meritorum & praemij: ipsi enim contendunt esse specialem rationem commutatiuae iustitiae in deo, ac proinde seruandas esse omnes condiciones illius, sicut inter homines seruantur in satisfactione debiti. Ex qua doctrina multa colliguntur, quae vix constare possunt, ut c. 5. & 6. monstratum est. At cum nos dicimus, secundum rationem communem tantum iustitiam in deo reperiri: non est necesse, ut asseramus, eas omnes condiciones iustitiae commutatiuae proprie requiri, ut perfectum sit satisfactio, & praemij solutio: sed alio modo facilius suis locis philosophabimur in 1. 2. q. 114. artic. 1. de iustitia.

Vaguetur in 1. part. Tomus I.

iustitia nostrorum meritorum, & 1. par. quaest. 1. art. 2. de satisfactione Christi pro nostris peccatis; ubi seruata omni perfecta aequalitate, quae inter Christum & deum, vel etiam inter nos, & deum esse potuit, omnia recte explicabimus, superatis mille difficultatibus, in quas incidere necesse esset, si sequeremur regulas commutatiuae iustitiae proprie, ut ex dictis in praedictis capitulis constat.

Dicit aliquis, sic etiam temperantiam deo tribuere possemus sine metaphora secundum communem rationem, quae in omnibus affectibus virtutis reperitur: eam tamen S. doctor in solutione 1. solum concedit metaphorice. Respondetur, eam secundum metaphoram solum deo conuenire, quia temperantia etiam secundum rationem communem significat moderationem aliquam alicuius insurgentis passionis, quae deo omnino repugnat, & ideo ipsi sine metaphora non conuenit.

Ad secundam rationem dico, si iustitia transferatur ad deum, quae non versetur circa datum, & acceptum, manet necessario secundum communem rationem iustitiae, quia auferretur propria, & specialis ratio obiecti, ut satis probatum est. Et quamuis affectus nostri deo tribuendi sint sine imperfectione, cum tamen imperfectio est essentialis, utpote ortum habens ex obiecto formali affectus, deo proprie conuenire nequit. Talis est imperfectio dati & accepti in iustitia commutatiua, si sequamur definitionem Philosophorum, & Theologorum omnium: nouas autem constringere definitiones, non licet: haec rationes erant in conformatione primae partis illius sententiae: quae vero secundo, & tertio loco aduersarij docent, nulla ratione probant, & satis a nobis supra impugnata sunt.

DISPVT. LXXXVI.

An Deo conueniat iustitia distributiua?

Quorundam Theologorum sententia, cap. 1.
Iustitiam distributiua[m] proprie in Deo non esse auctoritate
Scholasticorum, & aliorum probatur, cap. 2.
Ratione probatur praecedens sententia, cap. 3.
Diluuntur argumenta aduersariorum, cap. 4.

CAPVT. I.

Quorundam Theologorum sententia.

Am vero de iustitia distributiua, quae circa aliud genus aequalitatis versatur, disseramus, an scilicet deo proprie conuenire possit: est autem de hac re maior inter Theologos dissensio: nec enim pauci, nec inferiores nota affirmant, in deo esse iustitiam distributiua[m] secundum proprietatem. Ita docent Ricard. in 4. d. 46. art. 1. q. 1. Capreol. in 1. dist. 45. q. 1. art. 1. concl. 1. q. 2. ad argumenta contra eandem conclusionem Caietan. in hoc articulo, & 2. 2. q. 61. art. 4. circa solut. 1. Ferrar. in 1. con. gen. cap. 9. 2. Sotus lib. 3. de iustitia, q. 5. artic. vii. ad primum, & 3. de natura & gratia, cap. 7. Mosius in confessione Polonica, cap. 73. ante medium: quid vero de hac re S. Tho. docuerit, cap. sequenti dicemus, cum enim hi omnes eodem modo, quo negant in deo esse iustitiam commutatiua[m], pariter affirmant esse distributiua[m], & commutatiua[m] negant secundum proprietatem, hoc eodem modo distributiua[m] concedunt.

Ceterum quoniam distributiua iustitia deo conueniat,

Obijciatur secundum.

Respondetur.

52

Secundum argumentum in contrarium soluitur.

Ricardus.

Capreolus.

Caietanus.

Ferrar. 1.

Sotus.

Hofius.

Iustitiam distributiua[m] proprie, quae tribuitur deo.

51

conueniat.

conueniat, non omnes eodem modo sentiunt. Ricard. & Caietan. putant, tam in retributione præmiorum pro bonis meritis, quam in pœnæ inflictione pro peccatis distributam iustitiam à Deo seruari. Sotus vero solum in redditione præmiorum: nam in supplicijs iustitiam commutatiuam intercedere arbitrat. Cæteri autem in vniuersum loquuntur, & cum Ricard. & Caieta. videntur sentire.

Probat verò suam sententiam Caiet. quia ad iustitiam distributam pertinet vnumquemque in suo loco collocare. Deus autem in suo loco quemlibet collocat, reddendo præmia meritis bonis, & supplicia peccatis, in retributione quidem præmij, quia Ioan. c. 14. dicitur: *In domo Patris mei mansiones multe sunt: in pœnæ vero inflictione, quia Actor. 1. de Iuda dicitur, Vt abiret in locum suum: ergo seruat in eo iustitiam distributam: quare affectus huius virtutis secundum proprietatem Deo tribuendus est. Id quod hac ratione expressisse quoque videtur Dionys. 8. de diuin. nom. longe à fine, cum ait: *Diuina enim iustitia omnia disponit, & determinat: omniaque non confusa inter se nec permixta custodiens, q̃s, quæ sunt, omnibus quod cuique accommodatum est, tribuit pro ea, quæ vnumquodque eorum, quæ sunt attingit, dignitate.* Et hæc iustitiam seruasse Patrem familias, cum vocauit operarios, Matth. 20. & cum reddidit singulis pro labore denarium, autumat Caiet. ibidem: est enim similitudo quædam diuini iudicij, in quo Deus iuxta merita vnicuique præmium designabit. Secundo eadem sententia probatur, quia vitium acceptionis personarum est oppositum, non commutatiuæ, sed distributiue iustitiæ: vt colligitur ex S. Tho. 2. 2. q. 63. per totam, Deus autem dicitur in die iudicij reddere vnicuique secundum opera sine acceptione personarum, ergo ex iustitia distributiua: alioqui Paul. ad Roman. 2. cum dixit, Deum reddaturum vnicuique iuste secundum opera sua, rationem bonam non assignasset, dicens. *Non enim est acceptio personarum apud Deum:* ac si diceret, ideo iuste reddi vnicuique, quia non accipit personam: ergo innuit, iustitiam Dei oppositam esse acceptioni personarum: quare cum hæc acceptio opponatur distributiua, sequitur in Deo esse distributiua iustitiam.*

Tertia ratio sit Dominici Soti, qui, vt probet suam sententiam, notat 3. lib. de natura & gratia bona opera nostra bifariam considerari, primum vt procedunt à libero arbitrio: & sic ait, non esse meritoria de condigno vitæ æternæ, deinde, vt sunt ab homine iusto: & sic esse meritoria de condigno. Nam quamuis vnus homo apud alium mereri possit de condigno; etiam si sit inimicus eius: tamen non potest apud Deum iniustus homo, & inimicus eius sic mereri: namque vnus homo apud alium meretur ex iustitia commutatiua, quæ non attenditur ex dignitate merentis, sed ex æqualitate operis: iustitia enim commutatiua inter datum & acceptum æqualitatem constituit: sed apud Deum meremur ex iustitia distributiua, & ideo in tali merito attenditur dignitas personæ, si amicus est eius, à quo meretur. Hoc nulla ratione probat, sed gratis supponit Sotus.

Deinde suam sententiam hac fere ratione confirmat in libr. 3. de iustitia. Quia in retributione præmij attendit Deus dignitatem personarum, & merita, sed hoc videtur solum esse proprium distributiue iustitiæ: ergo in redditione præmiorum

eam Deus obseruat: nec obstat, quod in ea etiam seruetur quidam modus commutatiuæ, cum vnicuique exacte retribuitur præmium pro meritis, quod in publica distributione non solet accideret: hoc enim prouenit ex eo, quod præmium vitæ æternæ cumulatifimum est, & infinitum, vt ita ex illo cumulo possit vnicuique exacta fieri retributio: at vero publica bona, quæ aliquando distribuenda sunt, non ita solent esse abundantia, vt omnium merita æqualiter compensare possint: sed sola proportionem inter eos seruata diuiduntur. Porro autem Deum in supplicijs obseruare, non distributiua, sed commutatiua, probat Sotus, primum ex S. Tho. 2. 2. q. 108. art. 2. ad 3. vbi ait punitiorem delictorum, vt ad publicam iustitiam pertinet, esse actum commutatiue iustitiæ. Præterea ratione, quoniam in supplicijs non attenditur dignitas personæ, sed æqualitas sola inter peccatum, & supplicium: ergo in eis non seruat Deus iustitiam distributiua, quæ dignitatem personarum attendit, sed commutatiua, quæ æqualitatem inter duas res considerat: siquidem cum punit, iustum supplicium, & æquale peccatis assignat. Demum alij recentiores Thomistæ sentiunt, vt ipsi affirmant, Franciscum Victoriam, dicunt in retributione præmiorum Deum seruare vitamque iustitiam, si enim considerentur (inquunt) opera nostra, vt à solo arbitrio procedunt, redduntur illis vita æterna secundum proportionem iustitiæ distributiue: neque enim est æqualitas hoc modo inter opera nostra, & vitam æternam: sed proportio quædam. Si vero accipiantur quatenus à gratia procedunt, responderet illis præmium ex iustitia commutatiua, quia inter illa, & præmium est æqualitas rei ad rem, quam attendit iustitia commutatiua.

CAPVT II.

Iustitiam distributiua proprie in Deo non esse, auctoritate Scholasticorum, & aliorum probatur.

Mihi multo magis probatur aliorum Scholasticorum sententia, qui docent, iustitiam distributiua proprie Deo non conuenire. Sic tradunt Bonauent. in 4. d. 46. art. 1. ad 1. Scot. q. 1. §. Non Bonauent. improbandum, in solutione argum. Dur. ibidem q. 1. & in 2. d. 27. q. 2. num. 5. Palud. in 4. d. 46. q. 1. a. 1. Gab. supplem. 4. d. 49. q. 4. art. 3. dub. 3. qui negant in vniuersum, Dei erga nos esse iustitiam aliquam proprie: idque peculiariter adstruunt de remuneratione bonorum operum. Facit cum his Alex. 1. p. q. 39. mem. 1. dicitur vbi ait iustitiam non esse in Deo concedendam, vt significat debitum necessitatis, sed vt significat decentiam quandam congruitatis, & vt præced. disp. cap. 5. docuimus, vbi non intercedit debitum, nec iustitia vilo modo esse potest, id quod laici in sequ. cap. persequuntur.

Quid vero S. Tho. sentiat in hac controuersia difficile est iudicare, in primis enim in Deo non esse iustitiam commutatiua secundum proprietatem, sed secundum quandam similitudinem, distributiua autem simpliciter Deo conuenire, expressè docuit in 2. d. 17. art. 3. & 1. cont. gen. cap. 93. circa finem: imo id ipsum asserere videtur in hoc art. vbi cum neget commutatiua, & distributiua videatur concedere, atque commutatiua neget secundum proprietatem; hoc eodem modo concedere videtur distributiua. Verum in hoc cap. art. aperte non loquitur, cum enim dixisset iustitiam

Tam in retributione supplicij, quam præmij id probat Caieta. primo. Ioan. 1. 2. Act. 1. 1.

Dionysius.

Matth. 20.

Secundum argumentum istud.

Rom. 2.

3

Tertium argumentum Soti.

tiam commutativam proprie Deo non continere de distributiva solum docet, eam esse, quae gubernator alicuius reipublicae, vel dispensator dat unicuique secundum suam dignitatem, mox subiungit haec verba: Sicut igitur ordo congruus familiae, vel cuiusque multitudinis gubernata demonstrat huiusmodi iustitiam in gubernatione, ita ordo universi, qui apparet tam in rebus naturalibus, quam in rebus voluntariis, demonstrat Dei iustitiam: intelligit distributivam, de qua loquebatur. Confirmat deinde testimonio Dionysii, quod praecedat, pro priori sententia citavimus. Ex quibus non constat verum iustitiam distributivam proprie, an vero similitudinem quandam illius, quae in gubernatione universi resplendet, concedere solum velit Doctor Angelicus. Sed Capreolus in 2. d. 27. q. 1. art. 3. ad 1. contra 14. conclus. censet sententiam, quam in ea distinctione secutus fuerat de iustitia distributiva, quam dixerat Deo proprie convenire, postea in Summa retractasse: quod ex his quae dicimus perspicuum fiet. Primum, quia S. Thomas 1. 2. q. 114. artic. 1. plane negat, esse nostrum ad Deum meritum simpliciter, eo quod non sit inter Deum, & nos iustitia simpliciter: putat enim ibi non esse meritum simpliciter, ubi iustitia simpliciter non est, quod an verum sit eo loco dicemus: nunc autem hinc solum habemus, ex sententia S. Thomae inter nos & Deum nullam esse iustitiam simpliciter. Nam si aliqua esset, saltem distributiva sufficiens esset, ut apud Deum meritum simpliciter esset. Haec enim debitum simpliciter inducit, & secundum hanc ex sententia S. Thomae in hoc art. & alijs locis citatis, Deus praemia distribuit, & haec aequalitatem simpliciter servat, quam S. Thomas putavit necessariam esse ad rationem meriti.

Deinde in 2. 2. q. 61. art. 4. contendit probare, non esse idem iustum simpliciter, id est, in universum, & contrapassum: quae fuit doctrina Aristotelis 5. Ethic. 6. 5. quia latius patet iustum, quam contrapassum: est enim aliquod iustum, nempe distributivum, in quo non est contrapassum, ut sequenti cap. latius dicemus. Obijcit vero primum argumentum hoc modo, iudicium divinum est simpliciter iustum, & in eo observatur iustum contrapassum: ergo idem sunt iustum simpliciter, quod contrapassum. Respondet his verbis. Ad primum quod illa forma divini iudicii attenditur secundum rationem commutativae iustitiae, prout scilicet recompensat praemia meritis, & supplicia peccatis. Quibus ostendit in iudicio Dei non reperiri iustum simpliciter, hoc est, universum, sed tale iustum, scilicet commutativum, vel formam & similitudinem talis iusti: ut ita ostendat, non esse idem iustum simpliciter, hoc est universum, & iustum contrapassum. Quod si in Dei iudicio vera esset iustitia distributiva, melius responderet in eo non esse iustum simpliciter, quia est tale iustum, scilicet distributivum, vel etiam commutativum simul reperiretur, concedere deberat ibi iustum simpliciter, hoc est, universum inveniri. Adde, quod si in divini iudicii ex sententia S. Thomae servatur forma commutativae iustitiae, & aequalitatis illius modus, nequit simul servari distributiva: ergo cum concedit in eo servari modum commutativae, plane negat non solum distributivam propriam, sed etiam modum, & formam aliquam illius, ut sequenti cap. ostendemus.

Haecenus solum explicavimus, quinam doctores Scholastici hanc sententiam sequantur: nunc Valgus in 1. part. Tomus I.

vero auctoritate Anselmi, & Aristotelis nobis probanda est. In primis Anselm. in epistola, cap. 10. ad Deum sic ait: *Iustus es, non quia reddis debitum, sed quia facis, quod decet te summe bonum.* Sed iustitia proprie debito esse non potest, ut praecedenti disp. cap. 6. ex sententia etiam S. Thomae dictum est: ergo cum Anselmus appellet iustitiam Dei decentiam eius, sentit, nullam in Deo iustitiam proprie, sed communem quadam ratione reperiri. Quare non erit in eo iustitia distributiva ex sententia Anselmi. Et quamvis dicamus, Deum debitorem esse ratione promissionis, cum tamen Anselmus dicat, ipsum esse iustum, quia facit id, quod decet, non vult ex promissione aliquam Dei iustitiam concedere. Sane sicut praecedenti disput. cap. 6. probabimus ex promissione non posse in Deo oriri iustitiam dati, & accepti, sed donandi tantum id, quod promissum est: sic in sequenti cap. ostendemus, non oriri ex promissione iustitiam distributivam in Deo, si ante illam non erat distributio debita secundum aequalitatem geometricam. Et idem Anselm. c. 11. ait, *illud solum iustum est quod vis, non iustum, quod non vis:* sentit ergo iustitiam in Deo non esse aliud, quam decentiam ipsius: nam illud decet Dei maiestatem, quod ipse vult fieri.

Deinde ex doctrina Aristotelis 5. Ethic. 6. 5. clarissime colligitur, Dei iudicium in infligenda poena, & supplicio non fieri secundum iustitiam distributivam, ut Sotus allegatus in primo cap. plane fateatur, cumque eadem omnino proportio servetur, & idem genus aequalitatis in reddendis praemijs, ut sequenti cap. patebit, efficitur ut Dei iudicium in universum non servet distributivam iustitiam. De supplicijs id plane colligitur ex sententia Aristotelis nam eo c. probat ex professo contra Pythagoricos, repassivum, & iustum simpliciter non esse idem: illi enim censebant in omni iusto esse repassivum, & ita idem omnino esse. Arist. vero demonstrat latius patere iustitiam, quam repassivum: est enim aliquod iustum, in quo non sit repassivum, nempe distributivum. Subiungit igitur haec verba, *Verum repassio nec ad distributivum, nec ad emendativum accommodatur.* Porro ad distributivum non pertinere, relinquit ut notum, ad emendativum autem non spectare ex eo probat, quia si Magistratus quempiam perculserit, ipse reperiatur non debet: nihilominus ad aliquam satisfactionem eum obligari probat: ac proinde aliquam ibi debere esse repassivum: nam & in contractibus omnibus repassivum esse latissime ostendit.

Ex hac doctrina, quam sequitur S. Thomas 2. 2. q. 61. artic. 4. constat, Deum, cum assignat supplicia peccatis, non servare iustitiam distributivam: quia iustum, quod respicit, est secundum repassivum, sed repassio non est iustum distributivum, nec in eo invenitur ex Aristotele & S. Th. ergo nec Deus attendens iustum secundum repassivum, respicit iustum distributivum: quare nec servat iustitiam distributivam. Huius autem doctrinae Aristotelis & S. Th. optimam rationem sequenti cap. assignabimus: nunc vero eorum nobis sufficiat auctoritas: neque enim haecenus nostram sententiam ratione confirmare decrevimus.

CAPUT III.

Ratione probatur praecedens sententia.

D Vrandus & Paludanus, qui praedictam tenent sententiam, hac ratione illam confirmant. *Quoniam ratio proportionis.*

Sf 2

Iustitia

Anselmi testimonium.

Arist. testimonium.

S. Thomas

Quoniam ratio proportionis.

Impugnatur.

Iustitia distributiva ortum habet ex commutativa: si enim aliquis bona publica distribuens, debet ea secundum iustam proportionem dividere, ideo est, quia ipse ex commutativa iustitia erga rem publicam ad id obligatur: in Deo autem nulla invenitur iustitia commutativa: ergo nec distributiva, quæ inde ortum habet, esse potest. Hæc tamen ratio infirma est: aut enim in eo, qui nunc debet bona publica distribuere, non præcedit ulla obligatio ex commutativa iustitia erga rem publicam, aut saltem non est necesse præcedere, ut ex distributiva obligetur ad dividendum secundum æqualitatem proportionis. Cum enim quis reipublicæ se obligat ad iustam bonorum communium distributionem, non aliter obligatur, quam ad iustam divisionem: solum ergo cum reipublica convenit de obligatione iustitiæ distributiæ servanda; nec aliud damnum, neque alijs id refarcire debet, quam ijs, quibus secundum proportionis æqualitatem distribuere debet: & saltem Rex, qui est caput reipublicæ, cum secundum leges prælij obligatur ad spolia militibus dividenda, non alia lege tenetur, quam distributiæ iustitiæ, qua milites respicit: nec lex ad hoc statuta aliam obligationem induxit, quam distributiæ: ergo falsum est id, quod ratio Duran. in maiori propositione assumit, videlicet obligationem distributiæ semper oriri ex obligatione iustitiæ commutativæ.

12.

Propria sententia fundamētum.

Unica igitur ratio ex definitione iustitiæ distributiæ petita, hanc opinionem videtur monstrare, quæ talis est. Æqualitas, quam Deus nobiscum servat, aut in largitione perfectionum naturalium, aut in præmiorum, seu pœnarum distributione, non est distributiæ iustitiæ: ergo nec ipsa divisio, seu distributio servans prædictam æqualitatem, erit iustitia distributiva. Ratio quidem, meo iudicio, evidenter colligit. Natura enim & qualitas affectus iustitiæ, ex obiecto pensari debet: ergo recte sequitur id, quod intulimus: solum indiget antecedens probatione, quod si declaratione simplici tantum expōsitum fuerit, satis confirmatum manebit. Declaratur igitur hoc modo.

Aristot.

S. Thom.

Distributiva

iustitiæ ob-

iectum est,

æqualitas

geometrica.

13

Ut minimum requiritur quatuor terminos.

Primum ex mente Arist. 5. Ethic. cap. 3. & 4. & S. Thom. 2. 2. q. 61. art. 2. Caietani ibidem, Scoti 3. de iustitia, q. 5. art. 2. Paladani, Duran. & Ricardi locis citatis, quorum sententia omnium calculis probata est, cum omnis iustitia respiciat iustum, & æquale, tanquam proprium obiectum: & duplex solum genus æqualitatis excogitari possit, fit, ut duplex tantum genus iustitiæ reperiatur. Æqualitas vero una est inter duas res, & dicitur ab Arist. & alijs æqualitas arithmetica, siue unus ad unum: hanc respicit commutativa iustitia in commercijs, & damni reparatione, quando tantum quisque reddit, quantum accepit, vel quantum damni intulit. Altera est æqualitas, quam vocant proportionem, & geometricam, quia non est rei & rei, sed duarum proportionum inter se. Talis est inter duo ad sex ex una parte, & quatuor ad duodecim ex alia: hoc est æquali proportionem se habent duo ad sex, & quatuor ad duodecim. Hanc autem considerat, & servat iustitia distributiva, cum bona communia distribuit, servat inquam, inter duas personas ut minimum & duas res, ut optime notavit Aristoteles 5. Ethic. cap. 3. quare inter quatuor terminos iustum constituit, ut minimum: nempe, inter Aiace, & munus eius ex una parte, & Achillem & munus illius ex alia, ut scilicet,

eandem habeat proportionem pars bonorum, quæ tribuitur Aiaci, cum parte, quæ tribuitur Achilli, quam habet dignitas Aiacis, cum dignitate Achillis. Verbi causa, si Duci in prælio, cum spolia dividuntur, dantur centum, & ille duplo dignior persona est in exercitu, quam signifer, signifero dantur quinquaginta, & sic de alijs: hoc enim iustum & æquale est, ut ita munus se habeat ad munus, sicut persona ad personam. Unde cumque autem oriatur debitum huius æqualitatis servandæ, etiam si ex contractu ortum habeat, semper pertinet ad iustitiam distributivam, ut 2. 2. q. 61. art. 2. fusius dicemus, quia æqualitas semper est eadem, ac proinde iustum erit idem (iustum n. æquale quoddam est) & iustitia erit eadem. Aliam etiam æqualitatem seu proportionem considerat iustitia distributiva, quæ nostro instituto accommodata non est, quando scilicet res una indivisa alicui conferenda est, ut beneficium: hoc enim quia dividi non potest, dari debet digniori, & si plura sit dignius beneficium digniori personæ, & minus dignum minus digno tribuendum est: in quo etiam æqualitas illa non rei ad rem, sed proportionis servatur.

Deinde pro maiori declaratione notandum est, contingere interdum, ut ille qui debitum solvit ex iustitia commutativa, plures habeat creditores, & omnibus iuste persolvat, tunc autem licet sequatur ex solutione quædam æqualitas geometrica, & proportionis: quia qualiter se habet debitum unus ad debitum alterius; sic se habet solutio ad solutionem: quia tamen hæc æqualitas est secundaria, & non respicitur a debitore, cum debita solvit, non constituit iustitiam distributivam. Ille enim, qui singulis reddit, quod debet, solum considerat æquale unus ad unum, eius scilicet quod solvit, ad id, quod debet; & hoc in singulis: quam vero inter se proportionem habeant, non attendit, & ita tantum persolvit uni, quando simul cum alijs ipsi solvit, quantum si illi soli per se solveret. Alioqui deberemus asserere, cum aliquis multis creditoribus totum, quod debet, persolvit, iustitiam distributivam servare quod nullus dixit. Actus enim restitutionis æqualis, opus est iustitiæ commutativæ ex omnium sententia, etiam ipsius Caietani cum S. Th. 2. 2. q. 62. art. 1. aliter, quam cum aliquis non integrè restituit; quia potens non est, sed servata proportionem diminuit solutionem: tunc enim vitamque iustitiam servat. Nam si ei: cui debebat centum, reddit quinquaginta, cui debebat quinquaginta debet reddere viginti quinque, quo pacto in primis servat æqualitatem arithmeticam: reddit enim viginti quinque, quia debet viginti quinque, & reddit quinquaginta quia reuera debet quinquaginta, etiam si plus quoque debeat: ergo servat arithmeticam æqualitatem ex parte, quia omnino servare nequit. Deinde servat æqualitatem geometricam, ut eadem proportionem diminuat solutionem, qua debita se excedunt: quocirca secundarie constituit geometricam æqualitatem in eo, quod solutioni deficit. At vero iustitia distributiva aliam æqualitatem non considerat, quam proportionis, ut explicatum est: neque enim attendit quantum quisque secundum se mereatur, sed quam habeat cum alijs proportionem. Quo fit, ut dum bona communia pluribus distribuuntur, minus singulis obveniat, quam si inter pauciores dividenda essent.

Conse-

Consequitur etiam, vt bonum infinitum diuidi non possit seruata hac proportione & aequalitate vt satis est manifestum: ex illo tamen infinito pars aliqua diuidenda hoc modo desumi potest, in cuius diuisione nunquam attendi debet, vt quisque habeat, quantum ipse per se meretur, sed iuxta proportionem, quam cum alio habet in merito.

His politis, quæ apud morales Philosophos, & Theologos, qui de iustitia differunt extra controuersiam sunt, perspicue probatur nostra sententia. Nam in diuino iudicio per se solum consideratur aequalitas arithmetica, quæ est inter rem, & rem: nec iustitia Dei ad hoc attendit, vt constituat aequalitatem proportionis, & geometricam: licet ex suo iudicio secundarie sequatur: ergo non seruat modum iustitiæ distributiue; sed potius commutatiue, ita vt si aliunde non repugnaret, vt precedenti disputatione probatum manet, iustitia Dei esset commutatiua, non distributiua. Quamobrem merito dixit Sanctus Thomas in diuino iudicio formam commutatiue seruatiue proinde sine modo, nec similitudo distributiue est in Dei iudicio, iustitia Dei distributiua non erit. Porro autem Deum non attendere iustitiæ suæ aequalitatem geometricam patet primum, in largitione donorum naturalium, & perfectionum; vnicuique enim rei eam tribuit, quæ ipsi connaturalis, & decens est: quam vt tribuat, non attendit, quid alteri tribuendum sit, sed quid naturæ vnicuiusque rei secundum se conueniat. Ideo homini dedit formam erectam, manus, & pedes talis figuræ, ceteraque membra, arque alijs omnibus rebus perfectiones suas: quia ita natura cuiusque naturaliter postulabat.

Deinde in remuneratione præmij, & in solutione pœnæ, quæ in diuino iudicio statuuntur, idem ostenditur. Nam vt Deus bonis meritis præmij retribuat, non attendit, quæ proportio nem vnus homo cum alijs habeat: sed quid ipsi gesserit, & quantum opera ipsius mereantur: & perinde illi soluit ratione operum ac si esset solus præmij consecutus. Quare non ideo Beati in præmij remuneratione recipiunt æquale, quia vt dixit Scotus, infinitum præmij distribuitur, & ita quisque non tantum secundum proportionem cum alijs accipit; sed etiam æquale suis meritis, quod non contingit in distributione aliorum bonorum inter homines: non ergo hac ratione recipiunt beati æquale præmij suis meritis: quia reuera id, quod distribuitur, actu non est infinitum, & si infinitum esset, seruari non posset æqualitas proportionis, vt supra notauimus: imo nec cumulus aliquis communis beatitudinis formalis diuiditur, sed vnicuique datur tantum visionis, quantum opera eius merentur: & inter illa, & præmij æqualitas tantum attenditur, quæ est secundum modum iustitiæ commutatiue, non distributiue.

Sic de Deo dicitur, *Qui reddet vnicuique secundum opera sua.* In supplicijs similiter solum attendit Deus, quantum supplicij peccata cuiusque mereantur, iuxta illud vbi de supplicio meritis magis dicitur, *Reddite illis, sicut ipsa reddidit vobis, & duplicare duplicia secundum opera eorum. Et iterum, quantum glorificauit se, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum, & luctum. Quocirca ita vnumquemque punit Deus simul cum alijs, ac si solus esset: quia solum in præmij & suppliciorum distributione attendit.*

Vasquez in 1. part. Tomus I.

tendit, quid vnusquisque per se mereatur: quam vero proportionem cum alijs habeat, non considerat, & hac ratione merito dixerunt Aristoteles, & Sanctus Thomas locis citatis, in reparatione non posse iustam distributiui reperi, quia in ea non consideratur æqualitas proportionis, sed æqualitas dati & accepti, quæ est vnus ad vnum: idem de meritis constat.

Ex hac doctrina recte colligit Sanctus Doctor 2. 2. quæst. illa 61. art. 4. ad secundum, si aliquis Respublicæ deseruit, & pro seruitio stipendium haberet, non fore retributionem illam iustitiæ distributiue, sed commutatiue: *quia indistributiua si per distributionem attenditur æqualitas inter id, quod quis accipit, & id, quod dedit, sed ad id, quod alius accipit secundum modum persone, quasi dicat, secundum proportionem persone cum persona, non seruitij exhibiti cum mercede. Quod vero multi puniuntur simul pro peccatis, & pro bonis meritis præmij recipiant, & ita facta solutione resultat proportionis quædam æqualitas inter præmia & personas, parum refert, quia in solutione hæc proportio non consideratur, sed ea, quæ est inter rem & rem, inter meritum scilicet bonum aut malum, & præmij, aut supplicium. Sicut cum quis multis creditoribus debita integre persoluit, etiam si inde resultat æqualitas proportionis; quia tamen in solutione eam debitor non attendit, dum soluit, non seruat iustitiæ distributiua, vt omnes fatentur.*

His, quæ diximus, non solum probatur, in Deo non esse distributiua iustitiæ ante promissionem, sed etiam post illam, quia nunquam Deus obseruat æqualitatem proportionis, etiam post promissionem; nec videtur esse aliquis modus, quo illam obseruare possit. Sed ante promissionem est etiam alia communis ratio, ob quam distributiua iustitia in Deo esse nequit, quia, vt precedenti disputatione cap. 6. dicebamus, nulla iustitia proprie esse potest, vbi nulla obligatio intercedit: Deus autem nulla obligatio tenetur, antequam ipse fidem suam adstringat: ergo ante promissionem nulla iustitia, etiam distributiua, in Deo reperitur.

Hac denique ratione non solum confirmata manet, & explicata nostra sententia, verum etiam opposita satis explosa, quatenus in vniuersum affirmat, iustitiæ distributiua proprie Deo conuenire: sed paucis refellamus nonnulla, quæ Doctores prioris opinionis speciatim dixerunt.

Primo colligitur ex prædicta ratione, falsum docuisse Caietanum cum dixit, Patrem familias, qui singulis operarijs denarium soluit, seruasse distributiua iustitiæ, nam si eam Paterfamilias seruasset, quicumque debitor, qui multis creditoribus debita sigillatim persoluit, secundum distributiua iustitiæ diceretur restitutionem fecisse, quod nullus concedit: cum restituitio sit actus commutatiue iustitiæ, vt ipse Caietanus fatetur. Solutio enim denarij pro labore diurno ad restitutionem pertinet, non ex delicto, sed ex contractu, vtriusque autem eadem ratio est. Deinde tam Paterfamilias, quam qui debitum restituit singulis creditoribus, non considerat nisi æqualitatem rei cum re: hoc est laboris, & stipendij, quam vero proportionem vnus cum alio habeat, & stipendium vnus cum stipendio alterius, minime attendit, vt dictum est. Falsitas etiam eura

afficiat.

S. Thomas.
Reformatio
præmij iuxta
quantitatem
meriti, non
fit per distri-
butionem.

In Deo non
est distributi-
ua etiam
post promissi-
onem.

Caietan.
sententia
refutatur.

20

Nemo in
largitione
donorum &
perfectionum
naturalium.

Deus in
premio aut
pœna retri-
buit.

21

22

23

24

25

26

27

28

29

30

31

32

33

34

35

asserit, in pœnæ etiam solutione, Deum seruare distributiuam iustitiam: oppositum enim auctoritate, & ratione demonstrauimus. At Caietanus consequenter loquutus est, eadem enim ratio est de remuneratione pramiorum, & de pœnæ solutione.

*Solutio sibi
non constat.*

Quare secundo sequitur, Soti sententiam non satis sibi constare: nam cum recte dixisset, in simplicijs iustitiam distributiuam non attendi, sed commutatiuam, debuisset idem omnino de pramiorum solutione docere, utrobique enim eadem æqualitas consideratur, ut explicauimus, ac proinde eadem iustitia intercedit.

*Quorundam
Thomista-
rum placitum non
probat.*

Tertio denique id, quod alij Thomistæ dixerunt, verum esse non potest. Nam si opera nostra considerentur, ut procedunt à libero arbitrio, sine gratia gratum faciente, nullo modo eis tribuitur vita æterna: nec, si ea ratione daretur, in retributione illius attendetur æqualitas illa proportionis inter personas, ut diximus, modus enim quo illa fieret, explicari nequit, sed si aliqua seruaretur æqualitas, esset inter rem & rem, quæ ad commutatiuam iustitiam pertinet. Quod vero dicunt, inter opera hoc modo considerata & vitam æternam non esse æqualitatem sed esse proportionem, parum refert, ut dicamus, inter ea, & gloriam seruari iustitiam distributiuam. Hæc enim non respicit proportionem vnius ad vnum; sed æqualitatem duarum proportionum: hoc est, personæ & muneris ad aliam personam, & muneris: quæ quidem æqualitas nullo modo inter opera nostra sine gratia, & vitam æternam esse posset. Si enim aliqua esset proportio, ea esset congruitatis cuiusdam, quia congruum videretur, ut ei, qui etiam est extra gratiam Dei, sed recte operatur, Deus det vitam æternam: hæc autem est vnius ad vnum, inter quæ solum potest iustitia commutatiua versari; aut, ut verius dicam, nec commutatiua, nec distributiua: quia nec illa æqualitas assignari hoc modo potest inter opera nostra, ut vitam æternam: quare inanis est illa Thomistarum distinctio.

CAPVT IV.

Diluuntur argumenta aduersariorum.

*Ad primum
argumentum
respondio.*

IAm vero aduersariorum oppositionibus occurrere difficile non est. Ad primam, quæ erat Caiet. si formam arguendi respiciamus, dico, manifestum defectum continere, procedit enim ut logici loquuntur, ex puris particularibus. Est enim in secunda figura, & utraque præmissa affirmans, cum altera negans deberet esse, ut medium, quod in utraque est prædicatum, in altera distribuere: maior est, Ad iustitiam distributiuam pertinet, vnumquemque in suo loco collocare. minor vero, sed Deus reddendo præmia, & supplicia, vnumquemque in suo ordine collocat, ubi medium est, Collocare vnumquemque in suo ordine. Dicimus ergo, si collocare vnumquemque in suo ordine consideretur in vniuersum, conuenit quidem iustitiæ distributiue, sed non solum: quia etiam id efficit iustitia commutatiua, ut cum quis singulis creditoribus debita soluit. Si vero in specie consideretur, vnicuique iustitiæ suo modo conuenit: nam ad distributiuam pertinet, quatenus in ea collocatione considerat æqualitatem non rei cum re, non meritum cum præ-

mio, aut cum pœna solum, sed æqualitatem proportionis inter personas, & præmia, ut prædictum est. Commutatiua autem collocat etiam in suo ordine quemlibet, attendens solum æqualitatem rei cum re, meriti scilicet, cum præmio, aut cum pœna. Et quia hoc modo Deus iudicio suo vnumquemque disponit in suo loco, ideo iudicio suo seruat modum iustitiæ commutatiuæ, non distributiuæ.

Nec testimonium Diony. quidquam contra nostram sententiam valet. Quod enim dicit; *Di-* *Dionysius*
uina iustitia omnia disponit, & determinat, & pro-
disponit, alia translatio habet, distribuit, non pro-
bat in Deo esse iustitiam distributiuam proprie,
de qua est controuersia, sed esse distributionem
quandam, & dispositionem perfectionum, quod
non negamus. Imo verba Dionysij, quæ sequun-
tur, plane indicant, in hac distributione Deum
seruare æqualitatem commutatiuæ iustitiæ, seu
modum illius, ait enim, ijs, quæ sunt, omnibus, quod
cuique accommodatum est, tribuit. Non dixit in hac
perfectionum distributione Deum attendere pro-
portionem, quam inter se res habeant, & earum
perfectiones, ut æqualitatem proportionis inter
ear assignet, sed quid vnicuique accommodatum
sit. Considerat igitur solum æqualitatem, & con-
uenientiam, seu proportionem inter rem, & eius
perfectionem: quare si hanc seruatur æqualitatem,
quæ est vnius ad vnum, & Arithmetica vocatur,
seruat etiam modum iustitiæ commutatiuæ, non
distributiuæ.

Circa doctrinam secundæ rationis multa habet S. Th. quæ quidem referre instructuosum non erit, ait ergo 2.2. quæst. 63. artic. 4. vnum acceptionis personarum, quatenus est contra iustitiam distributiuam, locum habere in iudicijs. Sed in solutione primi eius articuli docet considerari posse hoc vitium dupliciter, primum quantum ad rem iudicariam, & sic tam circa materiam iustitiæ commutatiuæ, quam distributiue versari: & commune vitium esse nam iudicium esse potest tam de commutatione, quam de distributione faciendæ: de quantam ad formam iudicij quatenus iudicet etiam in ipso iudicio commutatiuæ iustitiæ, quam debet sequi, ab vno accipit & alteri dar: & sic opponitur distributioni iustitiæ. Ergo habemus ex S. Th. vitium hoc etiam si circa materiam commutatiuæ iustitiæ aliquando versetur, quotiescumque tamen in iudicio committitur, esse contra distributiuam.

Verum id nihil ob stare debet sententiæ nostræ quæ dicimus, in diuino iudicio non seruari distributiuam, sed modum commutatiuæ; in quo licet esset acceptio personarum, Deus non contra distributiuam, sed contra commutatiuam faceret. Porro nihil ob stare, probatur, primum, quoniam nam quod S. Thom. docuit, difficile sane est. Si enim duo de re aliqua contenderent coram iudice, ut famulus cum herode de mercede solvenda, debitor cum creditore de pretio alicuius rei, denique de quavis re vtrius esset; & iudex, aut negaret debitum pretij rei creditori, & adiudicaret debitori, vel mercedem auferret famulo, & defineret esse heri, idque faceret, non ignoratione, sed quia personæ creditoris & heri bene erat affectus: nunquid non diceretur, accipere personam contra iustitiam commutatiuam: quia ob respectum personæ contra ius non seruauit, aut non

non constituit aequalitatem inter datum & acceptum, quam seruare debebat: hæc enim æqualitas quam iudex constituere debebat, erat Arithmetica inter rem & rem: & ideo ad iustitiam commutatiuam pertinebat. Quod si, dum commutua bona diuideret iudex, respiciens etiam personam, maiorem ei partem assignaret, quam secundum proportionem meritorum cum alijs habere debebat: vitium hoc oppositum esset iustitiæ distributiue: tametsi inde ipse, qui distribuit alijs, quos sua parte defraudauit, debitor maneat ex iustitia commutatiua, quæ ad dampnum rescindendum tenebatur: omnis namque restitutionis obligatio, etiam promouens ex violatione distributiue iustitiæ, ad commutatiuam pertinet, vt optime notauit S. Tho. & Caiet. 1. 2. quest. 62. a. r. Vix ergo explicari potest, quod docuit S. Thom. videlicet acceptionem personarum in iudicio opponi iustitiæ distributiue, cum iudex contra iustitiam ab vno accipit, & alteri dat, etiam quando agitur in iudicio de iustitia aliquius commutationis.

Sidicas tunc iudicem considerare duas personas, quod videtur proprium distributiue, non tamen commutatiue: ergo iudicium illud ad distributiua spectat, & vitium acceptionis personarum ei opponitur: respondeo iustitiam distributiua non solum considerare duas personas, sed etiam res, & inter hæc quatuor constituere æqualitatem proportionis: Iudex autem solum considerat duas personas, inter quas componere debet iustitiam commutatiua, quia inter illas solum debet attendere æqualitatem dati & accepti: & quidem iustitia nequit commutatiua esse, nisi inter duas personas, & duas res earundem: ita tamen, vt æqualitas inter illas solum constituitur rei ad rem.

Deinde quod docet S. Doctör, nihil obest, quoniam ille placet loquitur, quoties in iudicio duas personas inuicem contendunt de aliquate, tamen cum aliquis coram iudice agit, non contra alium, sed vt ipse habeat a iudice, quod ab eo meretur, solum petit æqualitatem constitui inter ipsum, & iudicem, æqualitatem inquam rei cum re; hoc est mercedis cum præmio: iustitia autem commutatiua est inter duas personas, circa æqualitatem duarum rerum, vt proxime dicebamus.

Dico igitur ad argumentum; vitium acceptionis personarum commune esse, hoc est commutatiue & distributiue iustitiæ opponi. Dicitur autem iudex personam accipere, quia æqualitatem, quam secundum iustitiam inter aliquos seruare debebat non seruat: sed quia alicui eorum bene affectus est ei plus tribuit, aut eum minus punit, quam debebat. Opponitur autem commutatiue, quando eam violat: distributiue vero similiter, quando eam non seruat. De hoc vitio, vt opponitur commutatiue iustitiæ, Pharisei dixerunt ad Iesum: Scimus quia verax es, & non est tibi cura de aliquo non enim respicis personam hominum: petebant enim, vt iudicaret vitium cuius deberetur Cæsari, an non, quod ad commutatiuam pertinebat. Et ad Colos. 3. vbi de præmio bonorum, & de supplicio malorum loquens, Apostolus inquit, Qui iniuriam faciet, recipiet id, quod iniue egit, non est acceptio personarum Deus. Constat enim punitionem delicti ad iustitiam commutatiua, ex sententia Aristotelis, & S. Thomæ, vt cap. 1. vidimus, pertinere. Sic intelligerem illud ad Rom. 2. quod adducitur in argumento, cum enim ibi Apostolus non solum loquatur de præmio bo-

norum, sed de supplicio etiam malorum addidit: Non enim est acceptio personarum apud Deum. De acceptione vero personarum contra distributiua iustitiam intelligitur illud Iacobi 2. Nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri, &c. loquitur enim de distributione honorum, & sedium secundum debitam proportionem personarum inter se: vnde æqualitatem considerat proportionis inter personas, & res, tametsi ratione fidei Christianæ, putet omnes esse æquales, & nullum despicendum: sed de hoc alibi.

Superest obseruandum, vitium acceptionis personarum, quod iustitiæ oppositum est, solum esse, vbi debitum intercedit. Quare etiam si Deus respiceret personam in ijs, quæ gratia sua tribuit ex liberalitate, vel ex eadem condonaret, cum ad oppositum nulla lege teneatur; non esset vitium acceptionis personarum. Nam quod quis de suo largiatur liberaliter, aut condonet: non peccat etiam si personam respiciat. Deus ergo si respiceret personam solum, & non merita, non peccaret vitio acceptionis personarum contra iustitiam: nihilominus generali quadam ratione diceretur accipere personam: eo quod se haberet instar iudicis, qui in iudicio non respicit merita, cum aliquin ad id iure ipso teneatur. Cum autem Scriptura dicit, nostrum Deum non esse acceptorem personarum, non solum deo negat vitium oppositum iustitiæ, sed etiam similitudinem illius: quia nullo modo, etiam si libere id posset facere, respicit personam, sed secundum merita solum retribuit, vt ipse sæpius promissit.

Ad tertiam rationem, quæ est Dominici Soti, respondeo eundem def. etum habere, quem habet prima, nam quamuis iustitia distributiua attendat & consideret merita personæ, sed non ipsa sola attendit merita, commutatiua enim etiam merita considerat, diuerso tamen modo, commutatiua quidem secundum æqualitatem rei, & rei tantum, hoc est, meriti & mercedis, distributiua vero secundum æqualitatem proportionum inter personas, & merita, & quia in diuino iudicio non considerantur merita personarum secundum æqualitatem proportionis, vt expositum est sed secundum æqualitatem meriti, & retributionis, ideo in diuino iudicio non seruatur forma distributiue, sed commutatiue, etiam in præriorum distributione, quare non est probanda eorum sententia, qui dicunt, Christi ad Deum fuisse quidem iustitiam commutatiua, cum satisfecit pro nobis, sed Dei ad Christum fuisse distributiua, eo quod respexerit merita, hæc inquam sententia probanda non est, nam iustitia, quæ respicit merita iuxta proportionem vnius ad vnum, non potest esse distributiua, vt satis superque probatum est.

Sed quereret aliquis, an iustitia distributiua solum deo conueniat secundum metaphoram, siquidem hæcenus probauimus propriam non conuenire. Respondeo sicut de commutatiua dixi, in præced. disp. c. 7. distributiua Deo conuenire secundum generalem quandam rationem, non autem secundum propriam, & ita absque metaphora Deo esse tribuendam. Nam cum communis ratio iustitiæ deo conueniat, vt ibi explicauimus, & hanc etiam seruet Deus diuidendo singulis bona, & perfectiones, erit iustitia distributiua, siue iustitia in distributione, ea tamen peculiaris, quæ distincta constituitur à commutatiua, propter di-

Iacobus.

24
Acceptio
personarum
in Deo non
est contra
iustitiam.Tertium ex
argumentis
soluitur.

25

Dubium.

Soluitur.

uerfum genus æqualitatis, quod obseruat, non solum deo non conuenit, sed neque modus, & similitudo illius, ut ex dictis satis perspicuum est. Quare cum quaeritur, an deo conueniat distributina iustitia proprie, distinguendum est: aut enim illud proprie, opponitur *Metaphorice*, aut opponitur *Communiter*, si priori modo, deo conuenit proprie, si posteriori non conuenit.

ARTICVLVS II.

Vtrum iustitia Dei sit veritas.

132
4. d. 4. q. 1. ar.
1. 2. & 3.

Indial de
verit. c. 13.

6. Ethic. c. 2.
& 6. metaph.
phys. text. 8.
10. 5. & 10. 2.
Libro 4. Ethic.
c. 7. item 5.

AD secundum sic proceditur. Videtur, quod iustitia Dei non sit veritas, iustitia enim est in voluntate. Est enim rectitudo voluntatis, ut dicit Anselm. veritas autem est in intellectu secundum Philosophum in 6. Metaph. & in 6. Ethic. Ergo iustitia non pertinet ad veritatem.

2. Præterea. Veritas secundum Philosophum in 4. Ethic. est quædam alia veritas à iustitia. Non ergo veritas pertinet ad rationem iustitiæ.

Sed contra est, quod in Psal. 84. dicitur, Misericordia, & veritas obuiauerunt sibi. Et ponitur ibi veritas pro iustitia.

2. 1. 6. ar. 1.

Respondeo dicendum, quod veritas consistit in adæquatione intellectus, & rei, sicut supra dictum est. Intellectus autem, qui est causa rei, comparatur ad ipsam sicut regula, & mensura. E conuerso autem est de intellectu, qui accipit scientiam à rebus. Quando igitur res sunt mensura, & regula intellectus, veritas consistit in hoc quod intellectus adæquatur rei, ut in nobis accidit. Ex eo enim, quod res est vel non est, opinio nostra, & oratio vera vel falsa est. Sed quando intellectus est regula vel mensura rerum, veritas consistit in hoc quod res adæquantur intellectui. Sicut dicitur artifex facere verum opus quando concordat arti. Sicut autem se habent artificia ad artem, ita se habent opera iusta ad legem cui concordant. Iustitia igitur Dei, quæ constituit ordinem in rebus conformem rationi sapientiæ suæ, quæ est lex eius, conuenienter veritas nominatur. Et sic etiam dicitur in nobis veritas iustitiæ.

Ad primum ergo dicendum, quod iustitia quantum ad legem regulantem est in ratione vel intellectu. Sed quantum ad imperium, quo opera regulantur secundum legem, est in voluntate.

Ad secundum dicendum, quod veritas illa, de qua loquitur Philosophus ibi, est quædam virtus, per quam aliquis demonstrat se talem in dictis vel factis, qualis est. Et sic consistit in conformitate signi ad significatum; non autem in conformitate effectus ad causam, & regulam, sicut de veritate iustitiæ dictum est.

ARTIC. II. & III.

Explicatio articuli.

Conclusio articuli est: Iustitia Dei, quæ constituit ordinem in rebus conformem rationi sapientiæ suæ, quæ est lex eius, conuenienter veritas nominatur.

Primum obseruandum est, non dixisse S. Th. iustitiam Dei, quæ ipse in se iustus est, esse veritatem, quia ipse in se verus esse dicitur: sic enim confunderet hæc duo attributa inter se, sed iustitiam hic accepit pro iusto, & æquali, quod in rebus ipse constituit: veritatem autem, pro ea quæ res factæ veræ dicuntur, quia adæquantur suæ regulæ, scilicet deo, sicut opera artis vera dicuntur, quia sunt conformia ideæ artis: dixit itaque hoc iustum, & æquale, quod Deus in rebus constituit, recte vocari veritatem ipsarum rerum, quia dicuntur adæquari suæ regulæ, scilicet intellectui diuino.

Deinde nota, non solum iustitiam, & æqualitatem, quam Deus constituit, considerari per adæquationem rerum cum intellectu diuino, sed per adæquationem rerum ipsarum inter se, neque enim ideo solum Deus iustitiam seruare dicitur in rebus, quia eas facit suæ ideæ conformes, & quodammodo æquales: sed quia ipsas inter se ita ordinat, & rebus tales perfectiones tribuit, vel meritis talia præmia, qualia res ipse, & merita postulabant, & decens illis erat. An vero veritas rerum, quæ dicitur passio entis, de qua hic loquitur S. Doctor sumatur per conformationem cum intellectu practico dei, tanquam artificis, diximus late disp. 77.

ARTICVLVS III.

Vtrum misericordia competat Deo.

AD tertium sic proceditur. Videtur, quod misericordia Deo non competat. Misericordia enim est species tristitiæ, ut dicit Damasc. Sed tristitia non est in Deo: ergo nec misericordia.

2. Præterea, Misericordia est relaxatio iustitiæ: sed Deus non potest præmittere id quod ad iustitiam suam pertinet. Dicitur enim 2. ad Timoth. 2. Si non credimus, ille fidelis permanet, seipsum negare non potest. Negaret autem seipsum, ut dicit Gloss. ibidem, si dicta sua negaret: ergo misericordia Deo non competit.

Sed contra est, quod dicitur in Psal. 110. Misericors, & misericors Dominus.

Respondeo dicendum, quod misericordia est Deo maxime attribuenda, tamen secundum effectum, non secundum passionis effectum. Ad cuius euidenciam considerandum est, quod misericors dicitur aliquis, quasi habens miserum cor: quia scilicet afficitur ex miseria alterius per tristitiam, ac si esset eius propria miseria. Et ex hoc sequitur quod operetur ad depellendam miseriam alterius sicut miseriam propriam, & hic est misericordiae effectus. Tristari ergo de miseria alterius non competit Deo, sed repellere miseriam alterius hoc maxime ei competit, ut per miseriam quemcumque defectum intelligamus. Defectus autem non tolluntur,

tar, nisi per alicuius bonitatis perfectionem. Prima autem origo bonitatis Deus est, ut supra ostensum est. Sed considerandum est quod elargiri perfectiones rebus pertinet quidem, & ad bonitatem diuinam, & ad iustitiam, & ad liberalitatem; & misericordiam: tamen secundum aliam & aliam rationem. Communicatio enim perfectionum absolute considerata pertinet ad bonitatem, ut supra ostensum est. Sed in quantum perfectiones rebus a Deo dantur secundum earum proportionem, pertinet ad iustitiam, ut dictum est supra. In quantum vero non attribuit rebus perfectiones propter utilitatem suam, sed solum propter suam bonitatem, pertinet ad liberalitatem, in quantum vero perfectiones datur rebus a Deo omnem defectum expellunt, pertinet ad misericordiam.

Ad primum igitur dicendum, quod obiectio illa procedit de misericordia quantum ad passionis affectum.

Ad secundum dicendum, quod Deus misericorditer agit, non quidem contra iustitiam suam faciendo, sed aliquid supra iustitiam operando. Sicut si alicui, cui debentur centum denarii, aliquis ducentos det, de suo tamen, non contra iustitiam facit, sed liberaliter vel misericorditer operatur. Et similiter si aliquis offensam in se commissam remittit. Qui enim aliquid remittit, quodammodo donat illud. Vnde Apostolus remissionem donationem vocat, Ephes. 5. Donate inuicem sicut & Christus vobis donauit. Ex quo patet, quod misericordia non tollit iustitiam, sed est quedam iustitiæ plenitudo. Vnde dicitur Iacob 2. quod misericordia superexaltat iudicium.

Explicatio doctrinae articuli.

27 **C**onclusio articuli est, In Deo proprie est misericordia: ea vero intelligenda est opposito modo quam de iustitia diximus, videlicet in Deo esse misericordiam proprie non tantum absque metaphora, nec solum secundum rationem communem, sed etiam secundum rationem peculiarem formalem illius: dixi secundum rationem formalem illius, nam sicut in ira duo inueniuntur, ut notaui disp. 84. c. 4. materiale scilicet quod est commotio sanguinis circa cor, & formale quod est appetitus vitionis, & vindictæ, sic etiam in misericordia est compassio quedam partis sentientis, quæ est materiale, & formale, scilicet subleuatio miserie alienæ: dicit igitur S. Tho. in Deo esse misericordiam non secundum passionis affectum, sed secundum effectum, hoc est secundum quod effectum, & re ipsa subleuat alienam miseriam. Eodem modo loquitur Alex. 1. p. q. 39. m. 1. Richard. in 4. d. 46. art. 2. q. 1. Scot. q. 2. durand. q. 3. valud. q. 1. a. 3. ex quibus Richardus expresse docet compassionem illam appetitus esse materiale misericordiae, & ad formalem rationem, eam non pertinere, id quod ceteri non obscure

inducant, cum compassionem assignant ex parte appetitus, nullus enim Theologus hactenus sensit, ad rationem formalem alicuius virtutis, aut effectus animæ, passionem appetitus pertinere. Contra vero, cum ratio formalis affectus ex obiecto consideretur, quod est pars, & effectus ipsius, quando dicunt prædicti Doctores misericordiam in Deo esse secundum effectum, non secundum affectum appetitus, perinde est, ac si dicerent, esse quidem in Deo secundum id, quod formale est, non autem secundum materiale.

Dubitat vero Scotus, an misericordia, & iustitia in Deo saltem ratione distinguantur, & respondet iustitiam in Deo bifariam posse considerari, primum quatenus est decentia suæ bonitatis, & quatenus iustum dicitur, id quod Dei bonitatem decet, & hoc modo non distingui omnino iustitiam, & misericordiam, sed misericordiam esse partem quandam iustitiæ, eo quod decens est Deum misereri. Deinde iustitia Dei accipi potest, prout inter res ipsas seruat modum aliquem æqualitatis, ut inter merita, & præmia, atque hoc pacto, inquit, iustitia distinguitur a misericordia, eo quod misericordia in creatura, non attendit rationem, & modum alicuius æqualitatis, quam iustitia considerat.

Hinc respondet Scotus loco citato, & Richardus in 4. d. 46. art. 2. q. 2. & Alex. 1. p. q. 39. m. 2. ad aliud dubium, an scilicet iustitia prior sit, quam misericordia, respondent inquam, si iustitia accipiatur prior illo modo, priorem esse, quam misericordiam, ideo namque miseretur Deus quia misericordia decet suam bonitatem: habet enim se iustitia hoc modo ad misericordiam, sicut vniuersale ad particulare, atque id voluit dicere Ansel. in Prologo c. 11. cum ait, Sic ergo nascitur de iustitia tua, misericordia tua, quia iustum est, te se esse bonum, ut & parcendo sis bonus. Si tamen accipiatur iustitia posteriori modo, quatenus meritis præmia, & supplicia retribuit, prior est misericordia, quam iustitia. Nam misereri, conuenit Deo ex seipso, estque primariæ voluntatis operatio: sed reddere supplicium, & præmium ex nobis occasionem capit, & est secundariæ voluntatis & consequentis, ut disp. 87. diximus. Hac ratione Ecclesia dicit, Deus cui proprium est miseri semper & parcere. Proprium, inquam, quia ex seipso mouetur, ut misereatur: ut autem puniat ex nostris operibus occasionem accipit. Ego vero existimo de centiam illam, potius esse obiectum iustitiæ, quam ipsum iustitiæ affectum, ita quod Deus cum actu quasi reflexo vult misereri: quia illud iustum iudicat, hoc est decens, & conueniens suæ bonitati, affectum iustitiæ habere dicitur; ipsum tamen misereri, sit obiectum iustum, quare & hoc modo distinguuntur affectus iustitiæ, & misericordiae, & misericordia nihilominus hoc pacto oritur ex iustitia, ut recte dixit Anselmus.

ARTICVLVS JV.

Utrum in omnibus operibus Dei sit misericordia & iustitia.

AD quartum sic proceditur. Videtur, quod non in omnibus Dei operibus sit misericordia, & iustitia. Quedam enim opera Dei attribuuntur misericordiae, ut iustificatio impiorum. Quedam vero iustitiæ, ut damnatio impiorum. Vnde dicitur Iac. 2. Iudicium sine misericordia fiet ei, qui non fecerit misericor-

28

Dubium Scoti.

Responsio eiusdem.

Scotus.

Richardus.

Alex.

Quia sit prior in Deo.

misericordia an iustitia.

Ansel.

29

Quo pacto miseri, q. d. Dei oritur ex iustitia.

134

4. d. 46. q. 2.

ar. 2. q. 2. &

2. cor. c. 13 &

ver. q. 2. ar. 1.

8. & po. q. 5.

ar. 46. & po.

24. col. 6. &

ad Ro. 25.

col. 4.

ricor-

ricordiam. Non ergo in omni opere Dei apparet misericordia, & iustitia.

2. Præterea, Apostolus ad Rom. 15. conuersionem Iudæorum attribuit iustitiæ & veritati, conuersionem autem gentium misericordix. Ergo non in quolibet opere Dei est iustitia, & misericordia.

3. Præterea, Multi iusti in hoc mundo affliguntur. Hoc autem est iniustum. Non ergo in omni opere Dei est iustitia, & misericordia.

4. Præterea, Iustitiæ est reddere debitum, misericordix autem subleuare miseriam. Et sic tam iustitia, quam misericordia aliquid præsupponit in suo opere. Sed creatio nihil præsupponit. Ergo in creatione neque misericordia est, neque iustitia.

Sed contra est quod dicitur in Psal. 34. Omnes viæ Domini misericordia & veritas.

Respondeo dicendum, quod necesse est, quod in quolibet opere Dei misericordia & veritas inueniantur. Si tamen misericordia pro remotione cuiuscumque defectus accipitur, quamuis non omnis defectus proprie possit dici miseria, sed solum defectus rationalis naturæ, quam contingit esse felicem. Nam miseria felicitati opponitur. Huius autem necessitatis ratio est: quia cum debitum, quod ex diuina iustitia redditur, sit vel debitum Deo, vel debitum alicui creaturæ, neutrum potest in aliquo opere Dei prætermitti. Non enim potest facere aliquid Deus, quod non sit conueniens sapientiæ & bonitati ipsius, secundum quem modum diximus aliquid esse debitum Deo. Similiter etiam quicquid in rebus creatis facit, secundum conuenientem ordinem & proportionem facit, in quo consistit ratio iustitiæ. Et sic oportet in omni opere Dei esse iustitiam. Opus autem diuinæ iustitiæ semper præsupponit opus misericordix, & in eo fundatur. Creaturæ enim non debetur aliquid nisi propter aliquid in eo præexistens, vel præconsideratum. Et rursus si illud creaturæ debetur, hoc erit propter aliquid prius. Et cum non sit procedere in infinitum, oportet deuenire ad aliquid, quod ex sola bonitate diuinæ voluntatis dependeat, quæ est ultimus finis. Vtpote si dicamus quod habere manus debitum est homini propter animam rationalem: animam verò rationalem habere ad hoc quod sit homo, hominem verò esse propter diuinam bonitatem. Et sic in quolibet opere Dei apparet misericordia quantum ad primam radicem eius, cuius virtus saluatur in omnibus consequentibus, &

etiam vehementius in eis operatur, sicut causa primaria vehementius influit quam causa secunda. Et propter hoc etiam ea, quæ alicui creaturæ debentur, Deus ex abundantia suæ bonitatis largius dispensat, quam exigit proportio rei. Minus enim est quod sufficeret ad cōseruandum ordinem iustitiæ, quam quod diuina bonitas confert, quæ omnem proportionem creaturæ excedit.

Ad primum ergo dicendum, quod quædam opera attribuuntur iustitiæ, & quædam misericordix: quia in quibusdam vehementius apparet iustitia, in quibusdam misericordia. Et tamen in damnatione reproborum apparet misericordia: non quidem totaliter relaxans, sed aliquantulum aluens, dum punit citra condignum. Et in iustificatione impij apparet iustitia, dum culpas relaxat propter dilectionem quam tamen ipse misericorditer infundit. Sicut de Magdalena legitur Lucæ 7. c. Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.

Ad secundum dicendum, quod iustitia & misericordia Dei apparet in conuersione Iudæorum, & Gentium: sed aliqua ratio iustitiæ apparet in conuersione Iudæorum, quæ non apparet in conuersione Gentium, sicut quod saluati sunt propter promissiones Patribus factas.

Ad tertium dicendum, quod in hoc etiam quod iusti puniuntur in hoc mundo, apparet iustitia, & misericordia, in quantum per huiusmodi afflictiones aliqua leuia in eis purgantur, & ab affectu terrenorum in Deum magis eriguntur, secundum illud Greg. Mala, quæ in hoc mundo nos premunt, ad Deum nos ire compellunt.

Ad quartum dicendum, quod licet creationi non præsupponatur aliquid in rerum natura, præsupponitur tamen aliquid in dei cognitione. Et secundum hoc etiam saluatur ibi ratio iustitiæ, in quantum res in esse producit secundum quod conuenit diuinæ sapientiæ, & bonitati. Et saluatur quodammodo ratio misericordix, in quantum res de non esse in esse mutatur.

S. Ancti Thomæ doctrinam in hoc articulo eodem plane modo tradiderunt Alex. 1. p. q. 49. m. 3. per totum Scot. in 4. d. 46. q. 4. Durand. q. 3. Palud. q. 1. a. 4. conel. 3. ea vero facilis est, quare maiori non indiget explanatione.

QVÆSTIO XXII. De providentiâ Dei.

Consideratis autem his, quæ ad voluntatem absolute pertinent, procedendum est ad ea, quæ respiciunt simul intellectum, & voluntatem. Huiusmodi

modi autem est providentia quidem respectu omnium: prædestinatio vero & reprobatio, & quæ adhuc consequuntur, respectu hominum specialiter in ordine ad æternam salutem. Nam & post morales virtutes in scientia morali consideratur de prudentia, ad quam providentia pertinere videtur.

Circa providentiam autem Dei quærentur quatuor.

AB hac quæstione usque ad 26. incipit iam S. Thom. disputare de ijs operationibus, quæ mixtim ad intellectum & voluntatem pertinere videntur: de providentia nimirum, prædestinatione, & beatitudine Dei, hæc namque aut operationes sunt utriusque facultatis, intellectus scilicet, & voluntatis simul, aut si ad unam pertinent formaliter, & directe, aliam videntur quodammodo supponere: sicut de electione dici consuevit, esse voluntatem præconscienti, quæ formaliter est operatio voluntatis, sed habet ordinem peculiarem ad intellectum consultantem.

ARTICVLVS I.

Utrum providentia Deo conveniat.

AD primum sic proceditur. Videtur, quod providentia Deo non conveniat. Providentia enim secundum Tullium est pars prudentiæ. Prudentia autem (cum sit bene consiliativa secundum Philosophum in 6. Ethic.) Deo competere non potest: qui nullum dubium habet, unde eum consiliari oporteat ergo providentia Deo non competit.

2. Præterea, Quicquid est in Deo, est æternum. Sed providentia non est aliquid æternum: est enim circa existentia, quæ non sunt æterna secundum Damasc. ergo providentia non est in Deo.

3. Præterea, Nullum compositum est in Deo. Sed providentia videtur esse aliquid compositum: quia includit in se voluntatem, & intellectum: ergo providentia non est in Deo.

Sed contra est, quod dicitur Sapient. 14. Tu autem Pater gubernas omnia providentia.

Respondeo dicendum, quod necesse est ponere providentiam in Deo. Omne enim bonum, quod est in rebus à Deo creatum est, ut supra ostensum est. In rebus autem creatis invenitur bonum, non solum quantum ad substantiam rerum, sed etiam quantum ad ordinem earum in finem, & præcipue in finem ultimum, qui est bonitas diuina, ut supra habitum est. Hoc igitur bonum ordinis in rebus creatis existens à Deo creatum est. Cum autem Deus sit causa rerum per suum intellectum, & sic cuiuslibet sui effectus, oportet rationem in ipso præexistere, ut ex su-

perioribus patet, necesse est quod ratio ordinis rerum in finem in mente diuina præexistat. Ratio autem ordinandorum in finem proprie providentia est. Est enim principalis pars prudentiæ, ad quam aliæ duæ partes ordinantur, scilicet memoria prætorum, & intelligentia præsentium, prout ex præteritis memoratis, & præsentibus intellectis coniectamus de futuris providendis. Prudentiæ autem proprium est secundum Philosophum in 6. Ethic. ordinare alia in finem: siue respectu sui ipsius sicut dicitur homo prudens, qui bene ordinat actus suos ad finem vite sue, siue respectu aliorum sibi subiectorum in familia, vel ciuitate, vel regno, secundum quod modum dicitur Matth. 24. Fidelis seruus, & prudens quem constituit dominus super familiam suam. Secundum quem modum prudentia, vel providentia Deo conuenire potest. Nam in ipso Deo nihil est in finem ordinabile, cum ipse sit finis ultimus. Ipsa igitur ratio ordinis rerum in finem providentia in Deo nominatur. Unde Boeth. 4. de consol. dicit, quod providentia est ipsa diuina ratio in summo omnium principe constituta, quæ cuncta disponit. Dispositio autem potest dici tam ratio ordinis rerum in finem, quam ratio ordinis partium in toto.

Ad primum ergo dicendum, quod secundum Philosophum in 6. Ethicor. Prudentia proprie est præceptiva eorum, de quibus Eubulia recte consiliatur: & Syneus recte iudicat. Unde licet consiliari non competat Deo secundum quod consilium est inquisitio de rebus dubijs, tamen præcipere de ordinandis in finem, quorum rectam rationem habet, competit Deo: secundum illud Psalm. Præceptum posuit, & non præteribit. Et secundum hoc competit Deo ratio prudentiæ, & providentiæ. Quamvis etiam dici possit, quod ipsa ratio rerum agendarum consilium in Deo dicitur, non propter inquisitionem, sed propter certitudinem cognitionis, ad quam consiliantes inquirendo perueniunt. Unde dicitur Ephes. 1. Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.

Ad secundum dicendum, quod ad curam duo pertinent, scilicet ratio ordinis, quæ dicitur providentia: & dispositio, & executio ordinis, quæ dicitur gubernatio. Quorum primum est æternum, secundum temporale.

Ad tertium dicendum, quod providentia est in intellectu, sed præsupponit voluntatem finis. Nullus enim præcipit de agendis propter finem, nisi velit finem. Unde & præsupponit prudentia virtutes morales.

Lib. 6. Eth.
12. circa me
tom. 5.

Lib. 4. de
consol. prof. 6.
paulo à prim.

Lib. 6. Eth.
c. 9. & 10.
simul tom. 5.

Lib. 6. Ethic.
12. in med.
som. 5.

2. 19. art. 1.
4.

Sap. 4.

morales, per quas appetitus se habet ad bonum, ut dicitur in 6. Ethic. Et tamen si providentia ex æquali respiceret voluntatem, & intellectum diuinum, hoc esset absque detrimento diuinæ simplicitatis, cum voluntas & intellectus in Deo sint idem, ut supra dictum est.

Conclusio articuli est; In deo est providentia. Est autem in Scriptura expressa Sapient. 14. Tu autem pater gubernas omnia providentia tua. De ea nihilominus sequenti disp. nonnihil agendum est.

DISPUTATIO LXXXVII.

Utrum providentia, quam Deus de rebus habet, sit operatio intellectus, an voluntatis.

Errores circa Dei providentiam, cap. 1.

Providentiam, seu prædestinationem esse operationem intellectus, senserunt nonnulli Scholastici, cap. 2.

Ex aliorum sententia providentia, seu prædestinatio est actus voluntatis, cap. 3.

Providentia dei non semper consequitur finem, ad quem ordinat, & præparat media, cap. 4.

Prædestinatio non est pars subiectiva, sed obiectiva providentia, cap. 5.

CAPUT I.

Errores circa Dei providentiam.

Supponimus in hac disp. in Deo esse providentiam quod apud Catholicos extra controuersiam est. Inquirimus autem, utrum ad intellectum, an ad voluntatem pertineat operatio præteritum tamen erit, in hoc capite breuiter recensere errores, qui circa providentiam Dei fuerunt, & Catholicam veritatem præmittere.

Prætermittis vero Philosophis, & alijs qui Deum esse negantes, consequenter providentiam illius circa res creatas negarunt, contra quos ex professo q. 2. art. 2. disputatum est inter eos, qui Deum esse fatentur, non de fuerunt, qui de eius providentia erga hæc inferiora perpetam sentirent.

Primus fuit Epicurus, qui Dei providentiam omnino negavit, sic etiam Democritus, & Heraclitus, qui omnia ex necessitate naturæ euenire dicentes curam, & providentiam Dei superuacaneam esse putabant: ita referunt Lactan. lib. 1. de ira Dei cap. 9. & 10. & Nyssen. lib. 8. philosophia cap. 3.

Secundus error fuit Ciceronis, cuius meminit August. 5. de ciuit. cap. 9. & nos supra retulimus disp. 64. cap. 1. qui 2. de diuinat. disputans cum Quinto Fratres, scientiam futurorum contingentium, quæ ex humano arbitrio pendunt Deo prorsus negavit, ac proinde horum effectuum, & operationum providentiam abstulit: cum enim providentia sit cura rerum futurarum, & circa earum dispositionem versetur, ut infra dicemus, sequitur, sine præscientia earundem esse non posse. Itaque qui dicit Deum non præscire certo futura, necesse est, ut fateatur, earum etiam remam providentiam certam non habere: nam per coniecturas, quales homines habent, nihil repugnaret sine præscientia certa, curam aliquam habere, nisi aliunde coniectura in Deum conuenire non posset, ut disp. 67. dictum est. An vero aliarum rerum, etiam minimarum, quæ non sunt à libero arbitrio, deus providen-

Primus error
Epicuri &
aliorum.

Lactan.
Nyssen.

Cicero.
Augustin.

CAPUT I.

tiam habet, Cicero nihil decernit: in hoc etiam errore fuisse Aristotelem plane monstrauius in ea disput. 64. probantes negasse certam scientiam futurorum contingentium, quæ ex arbitrio pendunt.

Præter hoc autem adhuc videtur Aristoteles negasse Dei providentiam circa singulas alias res, quæ à libero arbitrio non pendunt, sed concursu aliarum causarum fiunt, sicut etiam negavit Dei operationem circa singulas res minutissimas: sed omnia motu primi mobilis fieri, & moueri existimauit. Hanc errorem Aristoteli adscribunt grauiissimi Patres, Clement Alex. 5. lib. Stromat. Epiphanius de hæresibus hæres. vltima, Nazian. or. 1. de Theologia, quæ est 33. in ordinem 34. Amb. 1. officiorum cap. 13. Theodoret lib. 6. græcarum affectionum, Salustianus lib. 1. de Providentia, Nyssen. philosophia cap. 3. & 4. Ensebius lib. 15. de præparatione Evangelica c. 4. ubi refert Atticum Platonium, qui in sermone de providentia acriter inuehitur in Aristotelem, quod contra Platonem, & Mosem inferiores mundi partes, quæ sub luna continentur à dei providentia excludat. Quare Nazianzenus loco citato providentiam Dei, quam Aristot. docet, merito appellat perperam, & angustis finibus circumscriptam providentiam: cuius etiam fecerat mentionem suppresso nomine Aristotelis in oratione 16. quæ est de pauperum amore, eam vero opinionem fuisse Aristot. dixit etiam Nicetas in eam orat. Nazianzenus 16. in illa verba, Quin potius, &c.

Colligitur autem ex ipso Aristot. 12. Metaph. cap. 1. text. 37. ubi inquit, Deum mouere primum corpus, cætera autem ab illo moueri, & eodem lib. cap. 9. asserit, absurdum esse, primam mentem, scilicet Deum, de quibusdam cogitare; & melius esse, quædam non videre, quam videre. Sed clarissime lib. de mundo ad Alex. circa finem illius, tametsi dicat maxime decere Deum omnia etiam minima gubernare, & illis providere, inquit, id non præstare per se ipsum, sed per alias causas, ut sicut peritus artifex motu vnius cordæ varias rerum imaginationes ob oculos ponit, sic Deus motu vnius cæli, hæc omnia inferiora, & singula gubernet. Videbatur enim Aristoteli indecorum, Deum singulis rebus producendis, & gubernandis speciatim intendere, sicut non decet Imperatorem Persarum, singula sui imperij per se ipsum gubernare, sed in ciuitate sua Susis, aut Ecbatani existentem, per ministros suos ea exequi. Lib. etiam Magnorum moral. cap. 8. versus finem sic ait: Si fortuitus casus esset Deo tribuendus, esset iniquus, cum frequenter accideret, flagitiosos homines fortunatos esse & res omnes bene illis euenire: contra vero studiosi plura aduersa, tam in bonis fortune, quam vita accidunt.

Neque obstat, quod 7. Ethicorum ad Eudemum cap. 18. inquit, diuino numine omnia moueri, & fortunam eodem numine instructam operari: quasi velit, singula, quæ eueniunt, & fortune tribuantur, Deo fieri, & gubernari, & ipsi non esse fortuita, quæ nobis casu accidisse dicuntur. Hoc enim bene potuit intelligere Aristot. sicut lib. de mundo ad Alexan. docuerat: quia omnes causæ inferiores à Deo ipso mouentur remotè motu vnius primi orbis, qui ab ipso proxime voluitur, ut ita omnis causa diuino numine quodammodo instructa operetur, quia virtutem dei medio primo orbe participat. Quod vero deus ea omnia singulatim disponat

Sicut enim
rem patet
tribuantur
Aristoteli.

Aristot. Cui
Alex. Epiph.
Nazian.
Ambrosius.
Theodoret.
Salustianus.
Nyssen.
Ensebius.
Nicetas.

Aperte de
testimoniis
conueniunt.

Deum
re præ
tam
euenire
fieri
ambrosius
Theodoret.
Salustianus.
Nyssen.
Ensebius.
Nicetas.

Non debet
aliter agere
tamen.

Ex his
probat
Lactan.
Augustin.